

cas annon habeat 5 stamina, tum enim esset *Claytonia*. Si vero plura habeat conjungit adeo genus *Portulacae* cum *Anacampserote* meo olim recepto, ut nulla ratione distingui queant; plurimi a me petiere quod haec duo genera distincto traderem.

Brunfelsiam referre ad *Lycia* mihi paradoxum videtur, modo specimen quod possideo genuinum sit.

Cum edas hoc anno novum opusculum, devotissimeque millies oro, rogo, obsecro, des in eo opere characteres Tuorum novorum generum, nempe:

Petitiae.	Terebinthi.	Copaivae.	Wedeliae.
Chomeliae.	Hilliae.	Hirraeae.	Elaterii.
Mygindae.	Trigonis.	Symploci.	Böhmertiae.
Laugieriae.	Elaphrii.	Homalii.	Dalechampiae.
Hameliae.	Ximeniae.	Russelliae.	Schaefferiae.
Ruyschiae.	Myrospermi.	Brownaeae.	Astronii.
Chaetaeae.	Heisteriae.	Diphysae.	
Hybanthi.	Caseariae.	Siphanthi.	

Si hoc mihi feceris beneficium possem ea meo systemati inserere, cum numquam genus ei intuli, nisi noto characteri perfecto. Diu mecum deliberavi utrum Tua in appendice ad systema referrem, quod aegre facerem, sed si innotescat totus character possum suis locis omnia tradere. *Hameliam* jam video, quando alias ex characteri non dignoscerem.

Hibiscum tiliaceum, mutabilem habeo, non vero *spinifem*, *esculentum*, *clypeatum*. *Urena lobata* nobis copiosa est. *Urena* vero *sinuata* non occurrit in horto.

Petiti descripsit tres v. quatuor rariores plantas.

Audivi a Baronibus Ruthenis D. Demidoffis, qui ultra $\frac{1}{2}$ annum mei auditores fuere, quod S. Imp. Majestas alat tot raras ac singulares aves, ut certe si via dimidio brevior, ad vos proficiscerer, tamquam ad Salamonem ut viderem ejus gloriam. Quaeso enumeres mihi quotquot poteris species.